Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Emden & Oldenborch Comit.

,

[Erscheinungsort nicht ermittelbar], [um 1650?]

urn:nbn:de:gbv:45:1-846177

Visual Library

Landesbibliothek Oldenburg

EMDEN ET OLDENBORCH
COMITATVS

Ambo hi Comitatus sunt membra Imperij in Circulo septimo, Westphalico, in quibus quemadmodum & pluribus Germaniæ Principatibus cum nihil de Statu Politico notum habeamus, Statum & membra Imperij potius post hæc designabo, ut rem in primis cognitu dignam, magnos interim Principatus, qui noti mihi erunt, ubi locus fuerit non prætermissurus.

Sunt in hac Tabula, Comitatus Delmenhorst 306.53 21. *Et Dominia Ezes* 28 43.53 56.
Norden 28 24.53 47, *Aurick* 28 41.53 41. *Iever* 29 5.53 53. *Vredeburg* 290.53 42.
Ovelgunne 29 39.53 51. *Rheyde* 28 38.53 4.

Meridiani distant pro ratione Paralleli 43 40. ad Circulum maximum.

Comitatus Embdanus & Oldenburgensis,

Regio & unde dicta

SEQVVNTVR in hac Tabula Comitatus duo, *Embdanus* & *Oldenburgensis*, eos nunc ordine describamus. *Comitatus Embdanus* appellationem ab urbe primaria habet, nunc etiam *Frisia Orientalis* dicitur: non aliam, ut videtur, ob caussam, quam quod Frisijs contermina. Non enim locum hunc *Frisij* olim, sed *Chauci* tenuere. *Chaucos* autem Germaniæ populum, *Caycos* Lucanus & Claudianus Poetæ nominant, neque desunt qui Cauconas Paphlagonum gentem vagam & quæ in migrando motoriam egisse fabulam legitur, cum his confundunt. Quem autem tractum tenuerint prædicti Poetæ & Tacitus manifestum faciunt. Lucanus etenim in primo Pharsaliæ illos Germanis conterminos facit, ibi:

Et vos crinigeros bellis arcere Caycos   Oppositi, petitis Romam, Rhenique feroces
Deseritis ripas. Qua apostrophe Germanos seu Francos innuit, isto nomine nondum notos, qui Cauchis objecti erant, & a tergo Rheno includebantur. Claudianus utramque gentem similiter conjunxit in Eutropium ita scribens,

Pacem implorantibus ultro   Germanis responsa dabat, Legesque Caycis.

Iam vero Tacitus eos inter Germanos nobilissimum populum appellat, & a Frisiorum finibus incipere, partemque littoris occupare, & per immensum terrarum spacium in Chattos usque introrsum sinuariait, ac lateribus Tencterorum, Vsipiorum, Frisiorum, Angrivariorumque obtendi. Ex quo amplitudo illorum Imperij ac Ditionis dilucide cognosci potest, quæ res effecit cur in Majores Minoresque a Plinio alijsque Scriptoribus distracti legantur. Majores sunt qui Bremensem Episcopatum incolunt, de quibus Tabula sequenti. *Chaucos* Minores Amisiæ amnis fuisse adcolas, & primariam ditionis urbem nunc esse Embdam cum eruditissimo Iunio censeo: *Oostfriesen* hodie. Siquidem inter Amisiam & Visurgim etiam Ptolemæus sedes illis constituit, cujus verba sunt, καῦχοι οἱ μικροὶ μέχρι τοῦ οὐισούργιος ποταμοῦ εἶτα καῦχοι οἱ μείζους μέχρι τοῦ ἄλβιος, id est, Cauchi Minores ad Visurgim amnem extenduntur, at Majores Cauchi ad Albin usque. Chaucos autem ita describit Plinius lib. XVI cap. I. *Sunt vero in Septemtrione visæ nobis gentes Chaucorum, qui Majores Minoresque appellantur. Vasto ibi meatu, bis dierum noctiumque singularum intervallis effusus in immensum agitur Oceanus, æternam operiens rerum naturæ controversiam, dubiumque, terræ sit, an pars maris. Illic misera gens tumulos obtinet altos, aut tribunalia structa manibus, ad experimenta altissimi æstus, casis ita impositis, navigantibus similes quum integant aquæ circundata; naufragis vero, quum recesserint; fugientesque cum mari pisces circa tuguria venantur. Non pecudem his habere, non lacte ali, ut finitimis, ne cum feris quidem dimicare contingit; omni procul abacto frutice. Vlva & palustri junco funes nectunt, ad prætexenda piscibus retia, captumque manibus lutum ventis magis quam Sole siccantes, terra cibos, & frigentia Septemtrione viscera sua urunt. Potus ijs non nisi ex imbre servato scrobibus in vestibulo domus,* Hæc olim Chaucorum facies. Ea nunc quantum ab illa mutata est? Hodie enim quænam terra uberius præbet mortalibus alimenta? non incolis modo, sed vicinis, alijsque exteris? At olim quam informis, quam tristis cultu, adspectuque, quam misera incolarum habitatio? Non Frumenti, non aliarum Frugum mentionem facit Plinius: jam ubi major ubertas? Frugiferarum Arborum olim impatiens? nunc omne fere genus Arborum producit. Non Pecudem habebant, non lacte alebantur; ubi major jam copia, & quis potior cibus? Agrum siquidem planum, & pascuis fœcundum, naturæ beneficio obtinent, cujus quidem quam glutinosæ & pingues sint glebæ, quam læta pascua, quam numerosi Armentorum & Pecudum greges, vix verbis explicari potest. Docet id exquisiti, delicatique saporis Butyri & Casei ad miraculum usque copia, quæ uberrimo incolarum quæstu & emolumento maximo ad varias regiones & per universam Germaniam defertur. Quinetiam non obscure id comprobant pingues & supra vulgarem magnitudinem Boves, quorum aliquot myriades in pascuis passim oberrare videntur, qui soli graminumque beneficio adeo impinguescunt, ut exteræ etiam nationes ijs potissimum delectentur. Postremo si cum Feris non dimicarint, hodie aliter docet crebra Nobilium venatio. Est ergo solum hujus tractus hodie adeo dives ut regionum vicinarum ope indigere minime videatur; imo multis usque adeo abundat, ut Equis, Bobus, Pecore, Carnibus porcinis, Lana, Butyro, Caseo, Hordeo, Avena, Frumento, Fabis & Pisis, item Sale, ut eorum quotannis magnam copiam larga manu Confinalibus suis, alijsque remotioribus Populis communicet. Porto *Fredericus* Imperator ejus nominis III, anno CIↃ CCCCLXV cum varijs Præfecturis hæc Provincia regeretur, Comitatus titulo auxit, totamque *Vdalricho* cuidam attribuit. Inde ad nostrum hoc usque ævum continuo Comites suos habet. Vrbes in hoc Comitatu mœnibus clausæ duæ sunt, *Emda* & *Aurichum*. *Embda*, sive *Embdena*, vulgo *Embden* urbs hujus regionis primaria & emporium celeberrimum ad Amisiæ fluminis ostium, portus oportunitate nobile, cujus alveus ita profundus est, ut navigia maxima passis velis admittat: propterea amplitudine opum, ædificijs publicis privatisque, & civium multitudine omnibus non Germaniæ modo, verum etiam Europæ angulis innotuit. Inter Ornamenta præcipua sunt Comitis Ædes sumptuosissimæ, templum celeberrimum, Domusque Prætoria. Mira hic omnium

Soli fertilitas. *Animalium varietas* *Imperium Majorum, Vrbes*

rerum & exuberans copia videtur, non earum modo, quibus satis necessitati fieri, sed & quibus voluptatis studium concitari queat. Præstat hoc Civibus tam Portus & importationis commoditas, quam nativa Frisiæ (de qua modo diximus) ubertas. Vrbs a Fluvio [illegible] nomen habet, quem Tacitus *Amisiam* vocat. Hic ille est Fluvius ad quem Drusiana fossa egressæ Legiones R[illegible]ANÆ, latæque Oceano, secunda navigatione pervectæ sunt, ut refert Tacitus II Annalium. *Aurichum* V[illegible]era, Nobilium jucundissimus recessus ob Silvas & Nemora, in quibus aucupio vel venatione liberaliter sese ex[illegible]nt. Cives potentes habet Mercaturæ vel opificio alicui deditos. Est in hujus Vrbis Agro, teste Kempio, locus [illegible] dictus, Muris undique cinctus, arbustis consitus, Leporibus & Hinnulis percommodus; in quo quasi Viridario sive Leporario quodam fovent maximam horum Animalium copiam, quæ proposita pœna capere nemo audet: sed Comitibus operam venationi daturis in voluptatem pro tempore servantur. In eodem Aurichi territorio est Collis paullo eminentior, vulgo *OSTALSBOOM* dictus, in quo Tribunal totius Gentis. Vbi quondam sub dio solebant bis in anno convenire ex septem Zelandijs, atque ibidem omnes hujus REGNI controversias per probatissimos & Consuetudinum Iurisque peritissimos dirimere. ARCES & Villæ in hoc Comitatu infinitæ sunt. Pagorum tantus numerus, ut alter alterum interdum contingat. Horum magna pars, sive Ædificiorum splendorem, sive Platearum amplitudinem, sive Incolarum frequentiam spectes, cum quibusdam Germaniæ urbibus potest condendere. Neque vero in ijs omnes rustici & agricolæ: sunt & Mercatores, & artificum varia genera: Nobiles etiam sparsim interjecti. Sunt hic & duo alij Comitatus, qui Embdano Comiti subjecti sunt, & *Esensis* & *Ieverensis* a primarijs eorum Opidis sic dicti. *Ieverensis* Ditio trans Iadam ad Occasum sita est, continetque pagos octodecim: ei Septemtrionem versus qua se Visurgis, in Mare exonerat, prætexuntur duæ Insulæ, *Wangeroga* & *Spikeroga*, desertæ magna ex parte. *Esensis* Comitatus ad littus Oceani contiguus est *Ieveriæ*: ab Occasu Berumensi & Auricensi tractu: a Borea Mari terminatur. Ejus Dominus *Haio ab Husecke* Anno CIↃ CCCLXXX, quum petulantius vicinos infestaret, Navesque Bremensium in Visurgi interdum spoliaret, Mariaque Vicina Piratis, terras prædonibus & grassatoribus suis impleret, tandem post leviores cum Bremensibus pugnas quibus inferior fuit, quum Esenam confugisset, captus a Bremensibus Edoni Wimmeke Capitaneo Ieverensi traditus est. Qui eum fune Canabino diu tortum strangulatumque tandem frustillatim dissecuit, eo quod Sororem, quam in Matrimonium duxerat, nulla justa de causa repudiasset. Ditionem vero HAIONIS, Bremenses LVBBONI Ommeke Sibonis filio, accepto fidelitatis juramento commendarunt. Lubbonis autem Filius Dido, Capitaneus in Stadland & Esens, ut a subditis belli molem averteret: Bremensibus *Langeworden* tradidit, cum a COMITIBVS Oldenburgensibus & Diœcesanis adjuti, Frisios inter Heetam & Iadam oppugnarent. Postea cum subditos Archiepiscopi finitimos Visurgi, & Bremenses, Dido subinde vexaret: Bremenses ut eas prædationes & latrocinia a se & suis, averterent: Arcem *Fredeburgum* cis Iadam, in Ditione Didonis sui Clientis ædificarunt, anno CIↃ CCCCVII. Cumque Dido a Vicino Comite Christiano Oldenburgensi auxilium obtinuisset, Bremenses adversus hunc, Ottoni Hoiensi, & Ottoni Delmenhorstano, fœdere juncti, bellum gerunt, ac Christianum prope FREDEBVRGVM captum, Bremam abducunt, nec ante dimittunt, quam Ditionem *Wordensem* in Orientali Visurgis ripa ipsis tradidisset. Dido Capitaneus Esensis ægerrime ferens Fredeburgum in Ditione sua a Bremensibus erectum, multa adversus eos molitur. Quare denuo illi bellum Bremenses inferunt, Esenam capiunt, & novum fidelitatis juramentum a Frisijs illis, ne quem Capitaneum præter Senatum Bremensem eligant, accipiunt anno CIↃ CCCCXIV. Triennio post Dido & Geroldus, Didonis Filij cum aliquot Frisijs Arcem Fredeburgi adoriuntur, sed capti a Bremensibns supervenienbus capitis supplicio affecti & rotis impositi sunt. *Flumina.* Flumina hic *Amasius*, *Visurgis*, *Iada*, & alia. Incolæ hujus regionis Germanica utuntur lingua, sed ad secretiora pro[illegible]ia quadam & vernacula, quam advenæ non intelligunt. *Opificia Vestitus.* Omnis generis opificia studiose exercent, aut agros colunt, aut Mercaturam faciunt. Vestitus honestus, etiam Rusticorum: ita ut ex Vestitu eos pro Opidanis quis duceret. Femineus sexus habitu multum ab alijs differente gaudet. Totam capitis comam in unum cirrum componunt, eumque multis Argenteis deauratisque sphærulis vel nodulis ornatum in tergum dependere sinunt. Caput ipsum in æstate, reticulo ex rubri coloris Serico contexto, Argentoque deornato redimunt. Hyeme autem capitium ex Panno viridi induunt, quo totum Caput adeo cooperiunt, ut oculos tantum adspiciendos præbeant. *HATTE* vocant hoc genus vestimenti. Palla sive vestis exterior, quæ a Capite ad talos usque plurimis minutisque plicis striata est, Argenteis deauratisque laminis tam frequentibus undecunque rigescit, ut exuta, etiam erecta consistat. Hæc constat ex rubro, interdum quoque ex viridis coloris panno.

Regio, & unde dicta. Situs.

HAEC de Comitatu Embdano; Succedit *Oldenburgensis*, Comitatui *Oldenburgensi* impositum nomen ab Vrbe primaria OLDENBVRGO. Hunc tractum olim Cauci Minores incoluerunt sicut & Comitatum Embdanum, ut supra diximus. Comitum autem Oldenburgensium Ditio, quam etiam hæc Tabula ob oculos ponit, ab Ortu ad Visurgis Ripam, Provincias Stegingiam (e regione Bremæ Arci Delmenhorstæ subjectam) Stadlandiam in quinque, Butiadiam in septem Parochias tributam, & huic subjectam Ieveriam, Frisiæ partem, octodecim Parochijs insignem complectitur: ad Occasum Amerlangiam ad Amasium Fluvium porrectam, in medio Morinos habet. Ad Boream Frisia & Oceano: ad Meridiem Diœcesi Monasteriensi terminatur. *Imperium Majorum.* Albertus Crantzius in sua Metropoli III capite decimoquinto scribit hunc Comitatum esse ex omnium vetustissimis: *Wildekindum* enim Saxoniæ Ducem (qui vixit Caroli Magni tempore) inter hujus Comites nominat, lib. II. cap. XXX. Irenicus tradit Vrbem *Oldenburgum*, a Carolo instauratam. *Vrbes.* In eo autem ipsum errare puto cum Ortelio, quod hanc civitatem inter Wandalicas numerat, juxtaque Mare eam describat. Hęc namque alia est ab illa: in Wagria nempe, Holsatiæ regione. Hanc Wandali *Stargard*, Dani *Brannesiam*, quique pro suæ linguæ proprietate vocavere, ut idem Crantzius asserit. Laureutius Michaelis putat *Ambrones* (quos quondã cũ Cimbris in Italiã profectos, & a C. Mario cæsos, tradit Plutarchus) hinc originem habuisse, eorumque nomen adhuc exstare apud gentem quam *Amerlander* appellant. Idem de Alanis Saxonibus sentit, quos ad stagnum Alanum, in hoc tractu, & ab utraque parte fluminis Alaniæ usque ad Arcem Oriam habitasse credit, hodieque *Lengener*, id est *Alani*: & *Averlenger* quasi *Vltralanos* vocari. Arx *Delmenhorst* ad rivum *Delme* anno CIↃ CCXLVII exstructa cum LXV annos in Episcopi Monasteriensis potestate fuisset, ab Antonio Comite Oldenburgensi, die Palmarum anno CIↃ IↃXLVII tacita militum manu, summo mane superato aggere expugnata & occupata est, & Præfectus Arcis Hermannus ab *Oer* in custodia servatus. De Comitibus hujus regionis quædam habet Andræas Hoppenrodius, in suo Stemmatum libro. Sed optime de ea David Chytræus in sua Saxonica Historia.

KP 632

Landesbibliothek Oldenburg